



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fvldensivm Antiqvitatvm Libri IIII.**

**Brouwer, Christoph**

**Antverpiæ, 1612**

Capvt XX. Continuatio Abbatum togâ & exteriore vitâ præstantium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39712**

gij conditio, ob causas, quas dixi, noxæ aut culpæ forsan eximant. Laudant domestici, Chronica Augustana S. Vdalrici; quibus & Wernherus traditur, huius Diui materterâ fatus; nec non Cardinalium Romæ numero allectus. Idibus Iunij occubuisse, Lambertus meminit. Eius retinemus haud vulgaris beneficentiæ monumenta, collegium Canonorum in Thuringiæ finibus, cognomento Borsla, gratam quondam S. Bonifacio sedem. Paradisum etiam, quem vocant, intra monasterij septa, cum peristylo aliisque rectorum ornamentis, tum Augusto S. Iohannis oratorio condito magnificum.

*S. Vdalrici  
consanguineus, & Ec-  
clesia Rom.  
Cardinalis.*

*Borsla vel  
Borsobum  
Canon. Col-  
leg. exstru-  
xit: Fulde  
opera varia.*

## CAPVT XX.

*Continuatio Abbatum togâ & exteriori  
vitâ præstantium.*

**R**ICHARDI Abbatis ob rem monasticam egregiè gestam, memoria me quoque sollicitat, vt eum amplissimæ laudis argumento misceam; quippe religione & morum disciplinâ redditâ effecit, vt posteri politicæ dignitatis amplitudinem, & felicius haberent, & securius administrarent: vnde adhuc audias, etiam in magno sæcularis pompæ luxu, & militaris ac aulicæ vitæ contagio, hoc sæculo decimo post Christum natum, hîc & *cænobitas Apostolicæ conuersationis, & Abbates eximie sanctitatis*. Iniit ipse munus suum, post Henrici Imperatoris exordia; cumq̃ aduenas trans mare monachos S. Benedicti nosset, insigni perfectioris vitæ studio ac seueritate disciplinæ, ex Scotiâ venisse in Germaniam, dedit operam, vt ad excutendum suorum torporem, & accendendum exemplo virtutem, complures Scoticæ gentis monachos Fuldam accerferet, horumq̃ accuratis vitæ doctrinæque studiis, veterem pietatem ac eruditionem apud suos excitaret. Id quod Marianus Scotus non siluit, qui & Amichadum monachum Scorum in Fuldensi monasterio vitæ sanctimoniâ clarum, celebrat ad annum Christi MXLIII. quo & obiit; quippe is prisco ritu istic arctius inclusus, eâ sanctitatis opinione vixit, vt super eius sepulchrum & cælestia visa lumina, haustæque voces angelicæ psalmodiæ.

*Richardus  
Abbas reli-  
gionis suæ ac  
disciplina  
amator.*

*Lambert.  
Chronie. di-  
uers. locis  
MS.  
Romam adit.*

*Scotica gen-  
tis monachos  
adoptat.*

*B. Amicha-  
dus Scotus  
Fulda cla-  
rat.*

roveri  
antiquitate  
identies.  
STV  
9

In S. Gothardi vitâ, & Trithem. in Hirsaug. Chron. Richardus adest Synodo Siligenstadiensi.

Richardus vitam moreq; suorum composuit. Duo monasteria condidit.

M. S. & acta, & Lambert. in Chron.

Romam cum Henrico II. profectus. Ibidem.

Abbas consecratus est.

Videbatur Eppensteinius Sigefridi successor. Lambert. Chron. 1059.

Porro Richardo Abbati stimulos hosce pietatis ac noui feruoris subiecisse reat, Synodum illam, quam anno primo indepti muneris, Seligenstadium Aribo Moguntinus Archiepiscopus conuocarat; quamque princeps inter Abbates Richardus, præsentiam quoque suam illustrauit. In eâ capita fuerant complura, ad disciplinam Ecclesiasticam & tranquillitatem ecclesiarum tuendam sancita. Richardi quoque nomini fauit Theodoricus Hersfeldensis, vicini monasterij doctissimus monachus, qui ingenij sui monumenta, de S. Benedicto elaborata, Richardo Abbati inscripta voluit. Ipse demum à domesticis *habitum, tonsuram, & regulam S. Benedicti* perfectam cœnobitis suis reliquisse proditur; & duo condidisse monasteria: videlicet, Amerbachense, quod in Franconiæ recessu non procul à Mœno S. Simplicio dicauit; & alterum, quod in ripâ fluminis Fuldæ *haud longè à præcipuo monasterio, S. Andreae honori exstruxit*. Vitâ functus anno Christi MXXXIX.

ROHINGVS Sigewardi successor, expeditione Italicâ, celebre quoque nomen inuenit; cum fede Romanâ à Tusculanis Comitibus, per varia comitorum dissidia & ambitum oppressâ, ad eam vindicandam, & imperij diadema capeffendum, Henricus II. magno cum exercitu in Italiam contendit. Anno itaq; salutis MXLVI. Sutrij Episcoporum habito Concilio, cum placuisset, deiectis aliis, Swidegerum Babenbergensem Episcopum, virum & probitate & litteris insignem, summos honores adire, & Clementis secundi nomen ferre, inde Romam agmine promotus, Rohingus insigni dignitatis suæ commendatione, die Christi natali ineuntis anni MXLVII. in amplissimo Romæ procerum theatro, eodem tempore à Clemente Papâ Abbas consecratus est; quo, ipse Pontifex factus, & Henricus ex Rege Imperator. Neque gaudiis his diu Rohingus superfuit; illis eodem anno, mortalitate expletis.

VVIDERADVS Abbas, monasterij Fuldenfis gubernacula, etsi in fortunæ malignæ nubilo, & difficillimo schismatis tempore, speciosissima tamen opibus, potentiâ, & rei militaris vigore, capeffuit, Sigefridi ex Abbate Moguntiacensium Archiepiscopi successor, & Eppensteiniæ stirpis cognatione proximus.

Observo autem, huius monasterij Antistites, hac ætate armorum

morum & togæ parem sustinuisse curam: quare ad alendam fortitudinem bellicam, & armata obsequia reipublicæ exhibenda, fortissimorum virorum & nobilium clientium circum se semper habuisse manum, ad subita præliorum & solemnium expeditionum paratam, cui ducatum is præbuisse, & cum Imperio præfuisse putetur, qui signiferi Fuldenfis nomine à Lamberto celebratur: cuiusmodi duos ipse, animi indole & præliorum auuiditate memorat insignes, Reginhardum Comitem, qui anno MXL. Henricum Regem Bohemicâ expeditione secutus, in nemore fortiter prælians occubuit; & Regenbodonem, qui MLXIII. pro Wideradi Abbatis honoribus decertans, in Gollariensi ecclesiâ, ab Hildenesheimensis Episcopi factione, trucidatus est. Signiferum verò tunc eundem, & belli ducem fuisse, clarè Dodechinus in prælio Saxonico quodam memorat, ubi de Egberti Marchionis signifero loquens in anno Christi MLXXXIX. *Cædis initium*, inquit, *ipse signifer & dux exercitus sui fecit.* Græci vocarunt Βαυδοφόρον, constatque in Francicâ gente fuisse primæ nobilitatis, tum ex Ducum creatione, tum scriptoribus iis, qui palmam nobilitatis tribuunt iis, qui bandi aut vexilli gauderent insignibus. Ceterum, quia Wideradi casus, & res gestæ historiam integram exigunt, faciam, ut ex Lamberto, & prædicabilem viri integritatem, & suspiciendam in paucis pace belloque potentiam, cognoscas. Primùm ab in-eunte ætate, narrat, pede grauius claudicasse, ad Regis comitatum, magnâ vi hominum & bellici apparatus instructum accessisse; Thuringorum gentem, contra Henricum quartum, & Sigefridum Moguntinum Antistitem, ob decimarum acerbissimas exactiones commotam, spem omnem in VViderado & Hirsfeldensi Præfule collocatam habuisse; quòd hi ecclesias decimales plurimas, & prædia infinita in Thuringiâ haberent; denique Wideradum fortunis abundasse tam amplis, ut in cunctis Galliarum ecclesiis, Fuldense monasterium emineret. Porro infauista ætatis suæ aucupia notans, quibus Abbatia & Episcopatus in Henrici tertij palatio venales publicè prostabant, Fuldensem quoque à Roberto Babebergensi Abbate, cognomento Numulario, sollicitatam meminit. Quippe Regi centum auri pondi promissa, ut eiecto eximia sanctitatis viro Abbate VViderado,

*Rei militaris frequens vsus hac ætate.*

*Cui pro Abbate Signiferi præfuerunt, cuiusmodi celebrantur, Reginhardus Comes & M.S. Fulden. Chron. & in Abbat. indice l. 4. antiq. Regenbodo.*

*Signifer idè qui dux belli.*

*Rigordus in gestis Philippi Franc. Papir. Mafson. in codè. Pithæus in lect. var. Fuld. antiq. vexilla bina prætendit insignibus, an à Vexilliferis antiquis?*

*VVideradi dignitas & amplitudo potentia.*

*Lambert. in an 1071. Infamis Abbatiarum & sacerdotiorum nuadatio.*

roveri  
tiquitate  
denfes.  
STV  
9

sibi *Abbatia Fuldensis traderetur*. Verùm & onera militaria, & armorum tractandorum studia, inuitis etiam Antistibus malignè imposita, & ægrè ab illis frustra renitentibus interdum suscepta, haud pauca documenta sunt, ex quibus elucescat. Nam & Imperatorum ambitione avaritiâque crescente, sæpè ad augendum copiarum numerum, & explendam militum, id est nobilium equestri dignitate, cupidinem, erogare sacra patrimoniam, & iis, ut loquebantur, in beneficium tradere coacti sunt: sæpè quin ipsi Præsules durissimis imperiis euocati, neque ætatis neque valetudinis excusatione, contra maiorum disciplinam, vacationem à militiâ impetrarunt; cuius rei in *V Vederado* nostro memorandum prodit exemplum in anno Christi *MLXXV*. Lambertus, quando Henricus IV. Saxonica genti infestus imminebat: *V Vederadus Abbas Fuldensis iam per biennium ita paralyti dissolutus erat, ut nisi baculo aut ministrorum humeris innixus, nusquam progredi posset. Eum tamen nec iam molesta valetudo excusare poterat à militiâ, id potissimum curante Rege, ut omnium Principum suorum titulis ac fascibus quàm maximè insignem faceret expeditionem. Cumque ad locum coadunandi exercitus, feruentissimâ astate, vehiculo sedens, pergeret, strepitu circumfusa multitudinis, & vi concitati pulveris suffocatus, pænè spiritum exhalauerat. Relatus in monasterium Breittingense ad amnem *Vrsurgin* situm, à stupore quidem mentis post paululum respiravit, nullum tamen ultra verbum proloqui potuit: atque ita deinceps per *VI*. hebdomadas gravissimâ corporis molestiâ decoctus, *XVIII*. Kalend. Augusti, humanis rebus exemptus est. Vir planè feruentis in Deum fidei, suis tamen omnibus admodum inuisus, propterea, quòd in diebus eius Fuldense nomen multis calamitatibus vehementer attritum, & pænè omnino oblitteratum fuisset. Atque ita Abbates iam tum istâ ætate Principibus Imperij annumeratos, hancque ipsam, domi, foris inter pacis belli que ministeria dignitatem obtinuisse, compertum est. Iam verò per succedentes ordine Præsules, consimilis argumenti decora, promere non arduum sit; atque in Henricis aliquot, Marquardis, Conradis, Berthois, crescentis quoque potentiâ viribusque Principatus, gestis bellis, exstructis, coemptis arcibus, cæditis oppidis ostendere vestigia: sed antiquiora nos hac lucubratione rimati sumus; quæ vulgatis iam chartis circumferuntur,*

Principes ecclesiastici & sacri sæpè ad expeditiones & onera belli à Regibus trahi inuiti.

Cum presentis iacturâ dotis ecclesiarum & vita.

*V Vederadus* ita concidit.

Breittingensi monasterio exceptus.

Abbates eo tempore Imperij Principes. Qui honores sui incrementis paulatim adoleuit.

Referuatus aliorum stylo.

runtur, pleraque ceu nimis obuia notaque refugimus: et si quoque vehementer piget illorum tēporum, quibus Henricus IV. & V. huius filius, aliique nonnulli secuti Cæsares, ecclesias Germaniæ ac monasteria sceleratè perditum ierunt; cum, ut ille ait, *passim tunc non quereretur in Abbatibus eligendis, quis dignius præesse, sed quis carius Abbatiam posset emere.* Vnde non sine ingenti probro Stephanus Halberstadiensis Episcopus in Epistolâ, quæ apud Dodechinum legitur, Henrico V. obiicit inter alia dedecora, ob quæ meritò communione piorum eiectus sit, *Abbatiam Fuldensem ab eo nefariè pro adulterio fuisse venditam.*

An verò astruendæ Abbatum potentiæ exemplum seruiat, quod magnus hac ætate vir in litteris, vnde, nescio, vsurpauit, cum Abbatem huius Ecclesiæ scripsit *sexaginta millia bellatorum præbuisse in hostem*, non facilè definiero: quin *sexaginta milites*, legerim potiùs; quomodo equestris ordinis homines appellabant maiores: quorum modus & numerus in externâ præsertim militiâ, ut sumptu constitit non vulgari, ita est, pro meâ obseruatione, moribus huius ecclesiæ Præfulum attemperatior.

*Schismati  
quanta im-  
probitas.  
Lambert. in  
Chron. ad  
an. 1071.*

*In anno  
1090.  
Abbatia Ful-  
denfis pro-  
scriptio, an  
prostitutio.  
Nota anceps  
potentia Ful-  
dæ Abbatum  
examinata.  
V. C. Iust.  
Lipius Cen-  
tur. 111. Mi-  
scellan. epist.  
27. vbi cit.  
Alberti Chr.  
Equites nobi-  
les, militum  
tulere nomē.*

## CAPVT XXI.

*Prima declinatio monasterij Fuldenfis.*

SCITVM illud, ab ipsis rerum primordiis nihil à mali viciniâ intactum steterit. In ipsa sanctimonix ac cælestis militiæ castra Lucifer, damnatorum ac perduellium spirituum antesignanus, malum inuexit: primorum parentum incunabulis, suum stygius serpens venenum infudit: in Apostolico collegio, & sanctitatis ipsius contubernio, repertus etiam Iudas dux & signifer quidam sceleris & improbitatis. Sed ne altiora repetam, huius Ordinis institutori ac parenti S. Benedicto ille ipse cœtus, à quo magister vitæque moderator expetitus erat, insidias struxit, & poculum etiam letale propinavit. Quæ cum ita sint, fragilitatis humanæ haud agere gnari videntur, qui inter homines eam disciplinæ constantiam, ac nusquam deerrantis æquabilem vitæ tenorem flagitant, ceu Angelos quosdam in cælestibus domiciliis, non autem mortales erroribus ac vitiis obno-

*Religionibus  
& familiis  
quoque san-  
ctissimi ob-  
reperere boni  
malisq; vicis-  
situdinem.*

*B. Greg. lib.  
2. dialog. c. 3.*